magicis artibus & secreta corporis
voluptate amorem sui concilians
Inde pireneum transiens spanias oc
cuparet & hoc studii haberet
vel uitium domus & in ipsas feminas
maxime adpeteret quae ducuntur
variis desideriis semper discentes
& numquam ad scientiam veritatis per
venientes. Hoc ille scribit ante
annos circiter trecentos & scribit
in his libris quos adversum omnes
hereses doctissime & eloquentissimo
sermone conposuit. Ex quo praevi
det prudentia tua qua lucinius noster
laude sit dignus qui clausit aurem ne
audiret iudicium sanguinis & omnem
substantiam suam dispersit dedit pauperi
bus ut iustitia eius maneret in aeternum.
Nec patriae suae largitate contentus.
misit hierasolimarum & alexandrinae
aecclesiae tantum auri quantum multo
rum possit inopiae subvenire
Quod cum multi mirentur & praedicent.
ego illum magis laudabo fervorem: &
studium scribturarum quo ille deside
rio nostra opuscula flagravit. &
missis sex notariis quia hic penuria
latini sermonis scribtorum quae penu
ria est. describi sibi fecerit quaecum
que ab adulescentia usque in praesens
tempus dictavimus. Non nos hono
rans qui parvuli & minimi xpianorum om
nium sumus. & ob conscientiam peccatorum
bethlemitici ruris saxa incolimus

sed xpm qui honoratur in servis
suis & apostolis repromittit di
cens. Qui vos recipiunt me reci
piunt. & qui me recipiunt recipiunt
eum qui me misit; Itaque carissi
mae filiae hanc epistolam amoris
mei in illum habeto epitaphium. &
quicquid posse me scis in opere
spiritali audacter impera. Ut
sciant saecula postfutura eum qui
dicit in Isaia. posuit me ut sagittam
electam in pharetra sua abscondit
me. Duos viros tantis maris atque
terrarum inter se spatiis separa
tos suo acumine vulnerasse & cum
mutuo in carne se nesciant amore
spiritus copulentur. Subscribo
Sanctam te & corpore & spiritu servet
ille samaritae id est servator & cus
tos de quo in psalmo scribitur.
Non dormitabit neque obdormiet qui
custodit israhel. Ut hir quod in
terpraetatur vigil qui discendit
ad danihel. ad te quoque veniat
& possis dicere ego dormio & cor
meum vigilat,
EXPL.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0028